

gestiebat, jamque prima mihi exilibis licet, ac jejuni operis folia typis edita monstrabantur, non esse propterea cunctandum, sed cum festinatione opus adgrediendum. Rumpere itaque moras decrevi, at quoniam per temporis angustias, atque occupationes haud licebat historiam cum monumentis conjungere, placuit monumenta utpote operis summam novo exemplo seorsim edere. Deliberatione facta propositum eo libentius peregi, quo tibi, cujus in hac re voluntati consilium hoc meum ipso initio totum commiseram, probari cognovi. Neque enim ob tuam ab illa dioecesi discessionem aliqua facta est in te voluntatis mutatio, sed quam ante omni benevolentia complectebaris, ejus etiam in posterum rebus juvandis, ac promovendis pro re nata facilem semper te, ac promptum exhibuisti. Movit etiam tui in Episcopatu successoris *Catdi Burontii Del Signore* crebra per verba, deinde per epistolas hortatio, ne ultra differrem, sed manum operi admoverem, cujus sane eximii Episcopi, ac magna eruditionis laude praestantis, tui vero studiosi, ac benevoli auctoritas plurimum apud me valere oportebat.

Hisce itaque obsequi mihi stetit sententia, nec motus imperfectionis suspicionem, nec spe longus ulteriori, quae primo parata ad manus venerunt, confestim officinatoribus ad imprimendum tradidi ratus in hisce rebus non tam ejus, quod speratur, quam quod possidetur habendam esse rationem; nec quae habentur incertis, ac fortuitis casibus, qui saepe homines fefellerunt, committendam rem esse. Subibat etiam animum vix quidquam hac in causa integri, perfectique assequi hominem posse, quin novis accessionibus locupletetur, emendationibus illustretur, atque lectores si modo aequi censores esse velint, lucri loco habituros, quod multa proferantur in lucem, quae ignorare necesse fuisset, licet non usquequaque limata, atque absoluta: non omnibus qui hanc spartam ornare suscipiunt eandem esse rationem, aliam ejus, qui civitatis in qua degit historiam scribit, aliam ejus, qui scriptorum penuriae suppetias ferre cupiens, locorum intervallo ab ea est sejunctus; aliam ejus, qui ibi scribit, ubi splendida litterarum fax non in optimatum solum aulas, sed in ipsa secreta tabularia penetravit, atque membranas ipsas, ac chartas in publicum commodum educi docuit, aliam ejus, qui in illis locis, ubi illas videre nec vana quaedam religio sinit, nec timida suspicio permittit, ubi non oculis lustrare, sed aliorum fidei niti necesse est; ac proinde uni ignoscendum, quod aliis vix indulgendum esset, sed aequi bonique consulendum, si quidquid novi e tenebris scriptor extrahit, ut quam rectissime se habeat quae profert pro iis, in quibus versatur temporibus omni sua cura, opera, ac diligentia providit.

Quamquam et huic, quae me admodum sollicitum angebat, curae aliqua ex parte consilium est. Nam cum praeterito anno a Regii Nobilium Collegii Praefectura honestam a clementissimo Rege missionem impetrassem, Aquas profectus complura ex jam editis documentis ad autographa, vel vetusta exemplaria, ac membranas, quae in publicis ejus civitatis, ac Ecclesiae tabulariis servabantur beneficio Eq. Ghilini R. Q., ac I. C. Can. Scoffoni exegi. Quo factum est, ut notae